



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput IX. (a) Gregorius IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

CAPUT IX.

(a) Gregorius IX.

Vir, qui à stipite quarto gradu; & mulier, quæ ex alio latere distat quintò, secundum regulam approbatam, quâ dicitur: Quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem, licitè possunt matrimonialiter copulari.

NOTÆ.

(a) *Gregorius. IX.*] Qui præsentem constitutionem fecit, ut exponeret decisionem textus in cap. quia 4. hoc tituli. ubi Commentarium dedi.

TITULUS XV.

De frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi.

CAPUT I.

Ex (a) Burchardo lib. 18.

ACCEPISTI mulierem, & per aliquod tempus habuisti, per mensem, aut per tres, aut per annum: & nunc primùm dixisti te esse frigidæ naturæ, ita ut non potuisses coire cum illa, nec cum aliqua aliâ; & si illa, quæ uxor tua esse debuit, eadem affirmat quæ tu dicis, si probari potest (b) per verum iudicium ita esse, ut dicitis, separari potestis, eâ tamen ratione, ut si tu post aliam acceperis, reus perjurii dijudicaris, & iterum post peractam pœnitentiam priora conubia reparare debebis. Illa autem, si prior post annum, aut dimidium ad Episcopum, aut ad ejus (b) missum proclamaverit, & dicat, quod non cognovisses eam, & negat aliquam commixtionem inter vos esse; tu autem affirmas, quod uxor tua sit, tibi credendum est, eo quod vir caput est mulieris: quia si proclamare voluerit, cur tam diu tacuit? Citò enim & in parvo tempore scire mulier poterit, si secum coire potuisses. Si autem statim in ipsa novitate, post mensem, aut postremùm si post duos ad Episcopum, aut ad ejus missum proclamaverit, dicens, Volo esse mater, volo filios procreare, & ideo maritum accepi; sed vir, quem accepi, frigidæ naturæ est, & non potest ea facere, propter quæ illum accepi, si probari potest per rectum iudicium, separari potestis, & illa si vult, (d) nubat in Domino.

NOTÆ.

1. (a) *Burchardo.*] Ita etiam legitur in prima collectione. *sub hoc tituli. c. 1.* reperitur textus hic in Decreto Burchardi lib. 19. *sub tit. de dissidio conjugis.* Totum illum librum Burchardus ex diversis pœnitentialibus, Romano videlicet, Bedæ, & Rabani, & ex diversis sententiis Sanctorum composuit pro medela peccantium, de quo Decreto, & ejus antiquitate egi in apparatu ad hæc Commentaria.

2. (b) *Verum iudicium.*] Quod justum dicitur in cap. quod autem 33. q. 1. c. 5. hoc tituli. quia verum pro justo, & contra justum pro vero, promiscuè à Latinis Authoribus usurpari notavit Budeus ad D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. IV.

l. 3. ff. pro facio; & illustravit Radulfus Forner. lib. 1. rer. quorid. cap. 19. unde in l. ult. ff. de iure delib. verus filius pro justo & legitimo ponitur, ut ibi notavit Accurs. & in l. 2. C. de rescind. vendit. verum pretium, & justum, pro eodem accipi notavit Guillelm. Forner. lib. 2. select. c. 19. & mariti dolor ob uxoris adulterium, qui justus dicitur in l. si adulterium 38. §. Imperator, ff. ad leg. Jul. de adult. verus appellatur in l. quamvis 30. C. eod.

(c) *Missum.*] Missus quis sit, exposui in cap. 1. de communis. eccles.

(d) *Nubat in Domino.*] Verba sunt Pauli Apostoli in epistola 1. ad Corinth. quæ refert Gratianus in princip. 33. q. 2. & exponemus in cap. 1. de secund. nupr.